

212<sup>c</sup> 1

τὸς φῆσαι ἢ ἀποφῆσαι, ἀληθές. Cæterùm hæc enuntiata quorum subiectum est infinitum, differunt à superioribus illis enuntiatis, quorum τὸ κατηγορέμενον duntaxat ponitur infinitum, eo quòd ex iis enuntiatis, quorum subiectum est infinitum, possunt dari quædam, quorum τὸ κατηγορέμενον non possit esse infinitum. Sic huius enuntiatum (valet non homo) τὸ κατηγορέμενον non potest esse infinitum, nam negatur duntaxat de subiecto: quod si esset infinitum, posset etiam affirmari: ut cùm dicimus: nō est homo nō iustus. Erunt igitur horum enuntiatorū ἀντιθέσεις huiusmodi. Valet homo: non valet homo. Item, valet non homo: non valet non homo. Ex quibus intelligere est: ut sit prædicatum infinitum, negantem particulam verbo non esse addendam.

*Possunt dari enuntiatum, quorum τὸ κατηγορέμενον nō possit esse infinitum.*

*Negans particula, quibus vocibus præponenda: ut enuntiatum reddatur negans.*

Et ut negans, particula non est addenda verbo, ut prædicatum reddatur infinitum; ita etiam ut subiectum sit infinitum, negans particula non est apponenda notis his (omnis & nullus) quibus non significatur τὸ καθόλου, sed ὅτι καθόλου. Quòd autē negans particula nomini addita non efficiat negans enuntiatum, declarari potest oppositione simplicium enuntiatorum. Nam affirmationi huic, valet homo: opponitur negatio, non valet homo. Item affirmationi huic, valet non homo: opponitur negatio, non valet non homo.

*Negante particula*

At negans particula apposita notis seu signis Omnis & Nullus, constituit enuntiata contradictoria.